

www.e-rara.ch

**Pavli Iovii Novocomensis Episcopi Nucerini Elogia Virorum literis
illustrium, quotquot vel nostra vel avorum memoria vixere**

Giovio, Paolo

[Basel], M D LXXVII

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-132417>

Andreas Mario

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

simè paratis & intentis. Exorto bello Veneto, post Achillini mortē Bononiæ professus est, vbi cucullatos sacerdotes contra se in caput, & nominis famam vehementissimè concitauit, edito scilicet volumine, quo animas post corporis mortem interituras ex sententia Aristotelis probare nitebatur, secutus Aphrodisæi placita: cuius dogmate ad corrumpendam iuuentutem, dissoluendamque Christianæ vitæ disciplinam, nihil pestilentius induci potuit. Scripsit etiam de Fato, & de incantationum occulta potestate. Sexagesimo autem tertio ætatis anno, stranguria oborta Bononiæ fato functus est: relatusque inde Mantuam, nobile sepulchrum Herculis Gonzagæ Cardinalis, erga ciuem & magistrum liberali pietate promeruit.

Iani Vitalis.

En animarum ingens globus, en legio omniū agantum

Quas tu perpetua luce carere negas.

Mortuus, vt discas eternam has viuere vitam,

Ad cineres vlulant Pomponiate tuos.

Latomus.

Cur, quis hūc iaceam, referre cogor,

Et causæ iugulo meæ admonere

Hunc ense, vt modò mortuus, cinisquæ

Si tecum fuero locutus, atri

Convincar placiti, reusquæ fiam?

Sed sunt irabidi & mali poetæ:

Qui quum plurima mentiantur ipsi,

Me verum prohibent tacere: nam sum

Pomponatus ille, qui professus

Maneis esse nihil, sed interire

Quicquid est hominis, patiquæ Fatum:

Nunc contra experior: tacere proinde

Mallem, sed irabidi vetant poetæ,

Andreas Maro.



ULLIS omnino certioribus lineis, nulloque exactiore petiçillo Andree Maronis ingenium depinxi, quam si eisdem vtar coloribus, quibus illud, dum ille viueret, diligenter expressimus in Dialogo nostro, quem in Ænaria insula, dum vrbs Roma à Cæsarianis, capto pontifice vastaretur, perscripsimus. Interrogante enim Daualo, his fermè verbis respondi, cum de viris & fœminis ætate nostra florentibus iucundissimo censuræ ordine disputaretur, & non temerè in mentionem Andree Maronis incidissemus. Is erat Brixianus, quam dimidiam patriam ab Euganeis, Foroquæ Iulio repeteret. Cupiebat enim Dux generosus cultorquæ Musarum, poetam inusitata virtute præditum, & funesta clade Urbis eripere: quod ex me, illum ter captum cruciatumque diu, ac omnibus fortunis expoliatum, miserabili ridendoquæ famelientis baiuli habitu, in Vrbe plena funeribus mendicare didicisset. Non est, inquam, Dauale, cur tantopere Etruscos vates ad expeditæ facundiæ laudem, arguta

cithara personantes admiremur: in eam enim peramcenæ voluptatis consuetudinem, mos patrius illos adduxit, quod faciles ad veniam aures dicere audentibus plurimum indulgeant, ita ut nec eos, vel leui sibilo notandos putent, qui hæsitando, amissa celeritatis laude, vel in dissona, vel in dispari syllaba peccauerint. Verè siquidem admirari, & plaudentis clamorem attollere iuvat, si nouum Maronem audiamus. Is enim cum summa eruditorum admiratione ex tempore ad quam iusseris quæstionem, Latinos versus varijs modis et numeris fundere consuevit. Audax profectò negotium, ac munus impudentiæ vel temeritatis plenum, nisi id à natura impetu propè diuino, mira felicitas sequeretur. Fidibus & cantu Musas euocat, et quum semel coniectam in numeros mentem alacriore spiritu inflauerit, tanta vi in torrentis morem citatus fertur, ut fortuita, & subitarijs tractibus ducta, multum antè prouisarum & meditata carmina videantur. Canenti defixi exardent oculi, sudores manant, frontis venæ contumescunt, & quod mirum est, eruditæ aures tanquam alienæ & intentæ, omnem impetum profluentium numerorum exactissima ratione moderantur. Exceptus est secundissimo plausu, ac idcirco à Leone representatæ facultatis nomine sacerdotio donatus, quum post celebre conuiuium, cui Regum legati senatoresque aderant, de suscipiendo sacro bello dicere iussus, iucunda figurarum varietate decantauit, orsus hoc nobili carmine:

*Infelix Europa, diu quassata tumultu
Bellorum,—*

Tum enim Selymus Turcarum Imperator Campsone & Tomumbeio vltimis Ægypti regibus vna atque altera acie deuictis ac interfectis, magnum Europæ intestino bello deflagranti terrorem intulerat. Perijt amissis poematibus infelix Maro in vili caupona ad Scropham lapideam campi Martij ab omnibus desertus, quinquagesimo tertio ætatis anno, quum è Tybure, quò perfugerat, vagantibus etiam ibi Barbaris, in pestilentē Vrbem vrgente Fato rediisset.

Myrtei.

*Postquam secundum publica abstulit clades,
Maronem & vna caruit infelix, campis
Quæsitus Elysij, nec inuentus Musis:
Phæbus furoris nam minister illius,
Quo carmen edere inclytum Maro fuerat,
Inter Sibyllas rapuit, æternum ut viuat.*

Latomi.

*Quòd spectanda data est, non Musa fruenda Maronis
Phæbe tua est leuitas gloria quanta fuit.
Non volo Vergilij, qui vel meditata dolebat
Carmina, maturæ non satis esse moræ:
Eius at Andree, solo quo Brixia alumno
Nil facere est cunas ausa Catulle tuas,
Cui fuit in subitos tam promptum ex tempore versus
Ingenium, ut quicquid pangere iussus erat,
Aptaret*

*Aptaret numeris, variataque verba ligaret,
Qualia vix longi temporis esse putes.
At periēre brevis breuibus cum versibus Author:
Deme quod eterno viuit in ingenio.*

Andreas Matthæus Aquauuius.



M E M O ex his qui illustribus orti familijs ætate nostra claruerunt, cum peculiari bellica laude ducerentur, Andræa Matthæo Aquauuius ad Præcutinos Hadrianorum regulo, se luculentius optimis disciplinis exornauit, vti præclare constat ex eo libro nobili pariter ac erudito, qui Encyclopædia inscribitur, & de Morali virtute Plutarchi plenior liber, subtili & copioso commentario per similis ostendit. Hic heros antiquæ virtutis, vti casus tulit, bis bello prælioque aduerso, & vulneribus honestissimè susceptis captus, forti animo tetri carceris calamitatem, studiorum solatio ita leniuit, vt ad eam exculsi ingenij frugem, quæ ab impotenti fortuna eripi non potest, generosa meditatione peruenerit. Sed cum eum victor Consalius cum reliquis captiuis in triumpho ducendum in Hispaniam mitteret, Rex Ferdinandus prudentiæ & lenitatis nomine maxime clarus, libertati, pristinaeque fortunæ restituit. Tanto itaque vsus beneficio, per viginti quatuor annos egit iucundo in otio vitam dicatâ Musis, adeo splendide & vigilanter, vt ad idem literarum honestissimum decus Bellisarium fratrem Neretiorum regulum æmulanter inuitaret, quem de Venatione, & de singularis certaminis prouocatione scripsisse videmus. Cæterum vir tantus quum Neapolitanos proceres, candore, innocentia & liberalitate facile superaret, visus est parum accuratus & diligens in tuenda rei familiaris dignitate, quum in vltimo vite actu præaltus animus contemptor opum institutæ liberalitatis neruos inconditis sumptibus incidisset. Fato functus est ad Conuersanū Bario finitimum, septuagesimo secundo ætatis anno, quum Lotrechij Galli infelicibus armis Apulia quateretur.

Actij Synceri.

Cernis vt exultet patrijs Aquiniuis in armis,

Duraque spumanti frenare laxet equo?

Quis miteis illum Permessi hausisse liquores

Credat, & imbelles excoluisse lyras?

Consurgunt niue & fulgenti in casside cristæ:

At clypeus toruo Gorgonis ore tumet.

Maeste animo, rigidum Musas qui stringere ferrum,

Qui Martem doctos cogis amare choros,

Hec ducis est virtus, non vni insistere palma,

Sed nomen factis quærere & ingenijs.

Eiusdem.

Mæsta Bituntinae duxerunt otia Nymphae,

Nec faunis solitos exhibuere choros,